abſolutio a Beato Petro confirmatio fuit illius abſolutionis & pœnitentiæ, quam ei B. Martialis indixerat. Certe beatus Petrus ſi ſciret illum eſſe a B. Martiali excommunicatione obligatum, potius eum damnaret, quam abſolveret.

8. Verior & recentis tunc memoriæ narratio non eſt omittenda, quam eadem ſeſſ. 2. Epiſcopus Cadurcenſis Deus dedit, his retulit verbis: *Nuperrime poſt Concilium Bituricenſe, qui de Excommunicatis Eques in noſtra Diœceſi interfectus eſt, quem ego rogantibus amicis & propinquis ejus nullatenus ſolvere volui, ut ceteri metum haberent, (gravem enim culpam prædantis habuerat) itaque ſine Sacerdotis obſequio a militibus apud quandam Eccleſiam Sancti Petri non me jubente ſepultus eſt. Mane autem facto corpus ejus longe extra Cœmeterium projectum & nudum ſuper faciem terræ inventum eſt: tumulus autem, ubi ſepulturam habuerat, intactus, ita ut dimiſſus pridem fuerat, repertus eſt: quem iterum milites aperuere, & nihil in eo aliud niſi veſtis, quibus involutum fuerat, invenerunt. Rurſus ibidem cadaver ſepeliunt, & diligenter tumulum ſub enormi pondere terræ & lapidum claudunt: ſed die altero projectum cadaver & tumulum intactum ut ante aſpiciunt. Quinquies ſepeliunt, toties eodem dejectum tenore contuentur; tanto demum victi ſtupore corpus longe a Cœmeterio terra obruunt. Quo terrore perculſi Principes militiæ pacem nobis velut optabamus firmare nequaquam diſtulerunt.* Difficile immo impoſſibile fuerit conciliare, quæ in duobus Conciliis Bituricenſi & Lemovicenſi referuntur de Sancto Martiali, cum multo antiquioribus teſtimoniis Gallicanorum Scriptorum Severi Sulpicii, Gregorii Turonenſis. Horum primus loquens de Lugdunenſi adverſus Chriſtianos perſecutione, quæ ſub Marco Aurelio exarſit anno 177. hæc loquitur lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ: *Tum primum intra Gallias Martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei Religione ſuſcepta.* Alter vero lib. 1. Hiſt. Franc. c. 30. ſic refert: *Hujus* (ſcilicet Imperatoris Decii) *tempore Septemviri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut Hiſtoria paſſionis Sancti Martyris Saturnini enarrat. Ait enim, ſub Decio & Grato Conſulibus* (horum vero Conſulatus in annum incidit a Chriſto nato 250.) *ſicut fideli relatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana Civitas ſanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonicis Gratianus Epiſcopus; Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus; Narbonæ Paulus Epiſcopus; Toloſæ Saturninus Epiſcopus; Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus; Arvernis Aſtremonius Epiſcopus; Lemovicis Martialis eſt deſtinatus, qui Epiſcopus diverſis pro Chriſti nomine affectus pœnis præſentem vitam gladio imminente finivit.* Saturninum refert furentis tauri veſtigiis primum alligatum & raptatum, & mox de capitolio præcipitatum vitam finiiſſe. Reliquos quinque Gratianum, Trophimum, Aſtremonium, Paulum atque Martialem poſt acquiſitos Eccleſiæ populos, felici confeſſione in cælum migraſſe. Quæ vero nomine Martialis circumferuntur Epiſtolæ, tot tamque manifeſtis argumentis convincuntur ſuppoſitionis, ut Docti omnes eas Martiali abrogent. Videte Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

9. Veruntamen & fortioribus argumentis, & longe graviori Patrum auctoritati, qui anterioribus ſæculis floruerunt, atque ad fontes Apoſtolicos propius acceſſerunt, auſcultandum potius eſt quam remotioribus & longe citerioribus Sulpicio & Gregorio Turonenſi, qui ipſi ambo a ſe invicem (ut mox conſtabit) diſſident. Reſque ipſa palam oſtendit, parum fuiſſe in iis, quas pertractant, hiſtoriis verſatos: qui etiam niſi ex remotiſſimis regionibus referente Cæſarienſi Euſebio res noſtras addidiciſſent, nullam Chriſtianæ fidei prædicationem, nullum pro illa martyrium in Gallia uſque adeo vicina Italiæ Romanæque civitati prorſus agnoviſſent niſi poſt Decii & Grati conſulatum, qui tamen ſibimetipſis incautius contradicentes martyria Gallicana jam inde a Petri & Pauli temporibus commemorant. Primum igitur majore fide digniora proferenda ſunt longe antiquiorum & peritiorum teſtimonia. Irenæus Polycarpi diſcipulus & poſt Photinum martyrem ſecundus Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus, niſi forte alii etiam (qua de re nihil liqueat) ante Photinum præceſſerint Lugdunenſes Antiſtites; Irenæus inquam teſtis locuples eſt, jam inde ab Apoſtolorum temporibus Chriſti Evangelium univerſis terræ habitabilis regionibus illuxiſſe, inter quas recenſet Celtas, id eſt Gallos, lib. adverſus hæreſes, cap. 2. & 3. Quin & hæc adjungit: *Habemus enumerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos.* Tertullianus de tract. adverſus Judæos commonſtrat de Apoſtolis Chriſti prænunciatum, & Davidicam prædictionem adimpletam fuiſſe; *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Deinde recenſens gentes ab illis cognitione unius verique DEI illuſtratas, enumerat in illis *Hiſpaniarum terminos omnes, & Gallorum diverſas nationes: & Britannorum inacceſſa Romanis loca.* Euſebius Cæſarienſis diligentiæ accuratiſſimæ hiſtoricus, qui niſi ſcripſiſſet, nos Galli antiquiſſimam Eccleſiæ Gallicanæ hiſtoriam circa celebriora noſtræ Galliæ decora, Gallicanorum Martyrum glorioſiſſimas palmas & trophæa ignoraremus, ex citata ſub Marci Aurelii perſecutione. Quinimmo idem hiſtoricus lib. 1. cap. 1. refert, quemadmodum ſancti Apoſtoli toto Orbe diſperſi Eccleſiam Chriſti ad fines uſque terrarum propagavere, & nominatim hæc ſcribit: *Ex reliquis Pauli comitibus Creſcens fuit ab eo miſſus in Gallias,* (ἐπὶ τὰς Γαλλίας) *quod Pauli ipſius teſtimonio declaratur.* Et quamvis Pauli teſtimonium Gallias non exprimat, ſed Galatiam Aſiæ minoris Provinciam, 2. Timoth. ℣. 10. attamen ſi ſit Adoni Viennenſi habenda fides, ipſique Euſebio, utrumque de Creſcente in Galatia & Gallia verum erit. Sic enim Ado ſcribit in Chronico: *Sub Trajano Imperatore primus Creſcens diſcipulus Apoſtolorum Viennæ aliquot annos reſedit, quoad Galatiam reverſo, &c.* Idemque in eodem Chronico jam ante dixerat: *Tempore Neronis, quo creditur Apoſtolus Paulus ad Hiſpanias perveniſſe, & Arelate Trophimum, & Viennæ Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicandum reliquiſſe.* De Trophimo quoque Arelatenſi ſcriptis teſtimoniis Gregorio Turonenſi antiquioribus mox confirmabimus. De Trophimo enim, cujus eſt in epiſtolis Pauli memoria, teſtatur Pontifex Zoſimus, fuiſſe ab Apoſtolica ſede in Galliam evangelizandi gratia miſſum, & Eccleſiam apud Arelatem fundaſſe, hoc etiam addens: *Ex ejus fonte totas Gallias Fidei rivulos accepiſſe.* De hoc eodem ſcribunt Primitiæ Arelatenſis comprovinciales Epiſcopi fuiſſe ab Apoſtolo Petro ad urbem Arelatem miſſum; qui alibi miſſus quoque directuſque a Paulo ſcribitur. Cum enim ſimul Romæ ambo Apoſtoli verſabantur, communibus conſiliis univerſæ providebant Eccleſiæ. Sic vero ut de re Romanæ Eccleſiæ comperta & indubitata ſcribunt provinciales Epiſcopi ad Leonem I. Pontificem: *Sed nec ſacroſanctæ Eccleſiæ Romæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatenſis civitas miſſum a Beatiſſimo Petro ſanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem: & exinde aliis paullatim regionibus Galliarum donum fidei religionis infuſum.*

Miretur fortaſſe aliquis, cur Maſſiliam Romæ viciniorem, appulſu faciliorem, & Orbis terrarum celeberrimum emporium, Apoſtolorum Principes ſive Trophimum ipſum, ſive quempiam alium ad prædicandum potius non direxerint. Sed probabilius eſt, jam dudum alteram præceſſiſſe apud Maſſiliam miſſionem, non quidem ab Apoſtolis deſtinatam, ſed ex occaſione ortam intentatæ adverſus primos Jeroſolymitanæ naſcentis Eccleſiæ fideles perſecutionis a Judæis excitatæ. Atque ita iſta non levis admirandi ratio ceſſat ex conſtanti, & jam inde a multis ſæculis Eccleſiæ monumentis atteſtata traditione, Magdalenam, Lazarum, Maximinum, alioſque Chriſti Diſcipulos navigio impoſitos, Divina aſpirante gratia, Maſſiliam appuliſſe, ibique a Lazaro novam fuiſſe ſtabilitam Eccleſiam: indeque Maximinum Aquas Sextias conceſſiſſe, primum extitiſſe Aquenſium Epiſcopum.

Sed ut interceptum a me propoſitum reſumatur, præter inconcuſſas Irenæi, Tertulliani & Euſebii Cæſarienſis auctoritates, res ipſa exigit, ut his quoque aliam adjungamus, omni præconio majoris alterius Epiſcopi Gallicani Hilarii Pictavienſis, tum antiquitate venerandi, tum maxime ſplendoribus doctrinæ ſanctitatiſque perilluſtris; hic vero ſcribens in Matthæi Evangelium ad iſta Chriſti effata: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio:* iſtam exponit conſummationem de Jeroſolymitana deſtructione, qua templum, in cujus aſpectu Dominus noſter Chriſtus Diſcipulos alloquebatur, injecto a Romanis igne conflagravit. Hæc vero ſcribit Hilarius: *Ac tum per omnes Orbis partes Viris Apoſtolicis diſperſis veritas prædicabitur. Et quum univerſis fuerit cognitio ſacramenti cæleſtis invecta, tunc Jeruſalem occaſus & finis incumbet, ut prædicationis fidem, & infidelium pœna, & metus civitatis dirutæ conſequatur.* Sanctus hic Eccleſiæ univerſalis Doctor, & Gallicanæ decus, iſta utique minime aſſeveraſſet, niſi reſciviſſet, jam ante Jeroſolymorum expugnationem illatum fuiſſe in Provincias Galliæ ſacrum Evangelium. Ipſe quoque jam productus teſtis Cæſarienſis Euſebius, ne quis dicat illam Lugdunenſium ab Aurelio cladem paucorum fuiſſe Chriſtianorum, neque longius ab illa & Viennenſi urbe fuiſſe Chriſti intra Galliam religionem propagatam, referens celeberrimam illam duarum Eccleſiarum epiſtolam, ex eadem pariter iſtud adjungit: *Ex atrocitate hujus in duas civitates perſecutionis judicandum eſſe, quanta crudelitate in reliquas Galliæ provincias deſævierit.*

Quinimmo ut ipſum Gregorium Turonenſem expendamus,

damus, idem ipſe in ſuis poſterioribus ſcriptis ea ipſa reſcindit, quæ minus de rei veritate inſtructus, de primis Gallicanis miſſionibus ſub Decii & Grati conſulatu prodiderat in primo a ſe edito Opere, ſcilicet hiſtor. Franc. lib. 1. cap. 29. & 31. quibus locis miſſos tunc temporis exprimit ad Arelatenſes Trophimum, ad Turonenſes Gratianum, ad Narbonenſes Paulum, ad Toloſates Saturninum, ad Pariſienſes Dionyſium, ad Arvernos Stremonium, ad Lemovicenſes Martialem. Deinde ſic proſequitur cap. 31. *De horum vero Diſcipulis quidam civitatem Bituricam aggreſſus, ſalutare omnium Chriſtum Dominum populis nunciavit.* Ceterum idem factus poſtmodum iſtius hiſtoriæ peritior, non illorum ſeptem miſſorum ignotum, & anonymum diſcipulum ſponte ſua ſibi colluſtrandam lumine fidei Bituricam aſſumentem, ſed priuſquam Gallias adiret, factum jam Epiſcopum, & ad fundandam Bituricæ Eccleſiam deſtinatum nomine Urſinum fidenter commemorat: ſimulque omnes octo ab Apoſtolorum diſcipulis (quæ ſane loquendi formula ſpecialem exigit obſervationem) Epiſcopos conſecratos, deinde miſſos in diverſas Galliarum civitates fuiſſe. Jam vero idem nullatenus de prædicto Conſulatu Decii mentionem ingerit, ſed dicens: *Ab Apoſtolorum diſcipulis* fuiſſe conſecratos & dimiſſos, horum omnium miſſionem multo antiquiorem fuiſſe demonſtrat. Hæc namque locutio immediatos innuit Diſcipulos, qui ab Apoſtolorum ore didicerint, cumque illis verſati fuerint. Nec enim qui hodie a ſummo Pontifice ad prædicandum gentibus deſtinantur, dici ſolent mitti ab Apoſtolorum diſcipulis, eaque tametſi aliquo ſenſu vera eſſe locutio poſſet, nova tamen & inuſitata inſolitaque haberetur. Quam tamen Gregorius noſter in poſterioribus libris ſuis ſolet de illis primis in Galliam miſſionibus uſurpare: ut de octo jam nominatis in lib. de gloria Confeſſorum, c. 80. exprimit. Idemque lib. de miraculis Martyrum, c. 48. *Saturninus vero* (inquit) *martyr, ut fertur, ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus, in urbem Toloſatium eſt directus.* Verba porro illa, *ut fertur*, priſcam & conſtantem Eccleſiæ traditionem, non vero vagum & inanem plebeculæ rumorem in uſu Scriptoris hujus indicant. Idem ſimiliter lib. de gloria Confeſſ. c. 80. *Biturica vero urbs*, ait, *a ſancto Urſino, qui a Diſcipulis Apoſtolorum Epiſcopus ordinatus in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit, atque Eccleſiam Bituricenſem primum inſtituit rexitque eam.* Confer caput iſtud 8. de glor. Confeſſ. & comperies evidenter in illo corrigi & retractari, quæ minus perite idem Auctor ſcripſerat lib. de hiſt. Franc. cap. 30. & 31. Idem pariter ſcribit libr. 1. de glor. Martyr. c. 56. *Eutropius quoque martyr Santonicæ urbis a beato Clemente Epiſcopo fertur directus in Gallias, ab eodem etiam Pontificalis Ordinis gratiam conſecratus eſt, impletoque hujus officii ordine, peracta incredulis prædicatione, inſurgentibus paganis, quos auctor invidiæ credere non permiſit, illiſo capite victor occubuit.* Nemini porro uſque adeo cornea fibra eſt, ut neſciat, Clementem fuiſſe immediatum Petri diſcipulum, & longa annorum ſerie decantatum illum Decii Gratique conſulatum anteceſſiſſe, ipſamque a Marco Aurelio excitatam Lugduni perſecutionem: ante quod tempus ſcripſit inconſultius Severus Sulpicius nulla viſa fuiſſe in Galliis martyria. Nec vero in hac re ſola idem hallucinatus eſt Auctor, ut admonent præſtantiſſimi Cardinales Baronius in Annalib. & Bellarminus in ſcriptorib. Eccleſiaſt. Siquidem Severus lib. 1. de ſacra hiſt. aſſerit, filios Dei, qui filias hominum adamaverant, fuiſſe angelos. Idem ait, Sacerdotes, qui bona quæpiam poſſident, tranſgredi præceptum Domini datum quondam Levitis. At Levitæ non modo poſſeſſiones permittebantur habere, ſed ſanctiſſimus Propheta Jeremias ex genere Sacerdotum, agrum ſuum vendidiſſe legitur, Jerem. 2. ſanctuſque Levites Barnabas agrum ſuum ſimiliter vendidiſſe conſtat Act. 4. Templum quoque fundatum fuiſſe ſcribit Severus anno 588. ab egreſſu filiorum Iſrael contra Scripturæ fidem, qui 3. Reg. 6. annos deſignat non amplius 408. Idem dicit Eccleſiam auro non ſtrui, ſed deſtrui. At ſecluſis privatorum abuſibus, qui perverſis cupiditatibus Eccleſiam deſtruunt, Eccleſiæ neque ſtrui neque fundari poſſunt ſine auro & argento: & contrarium dogma damnatum fuit ut hæreticum in Valdenſibus, aliiſque hæreticis ſectis. Idem in Dialogis reprehendit Epiſcopos, qui libros Origenis damnaverunt. Quiſnam vero ignorat Origeniſtas fuiſſe ab Eccleſia meritiſſime damnatos una cum Origenis libris, quos perſpicuum eſt fuiſſe hæreticis dogmatibus refertos? Idem docet, conjugium ad veniam, fornicationem ad pœnam, ſolamque virginitatem ad gloriam pertinere. Idem calumniam ſancto Martino impingit, dum ei delirium iſtud imponit Neronem ſimul cum Antichriſto venturum: & Antichriſtum ex cacodæmone incubo conceptum iri. Idem arguitur a S. Hieronymo Ezech. 36. cum illis omnibus novam Jeruſalem expectantibus auream & gemmatam. Martyrum Lugdunenſium & Viennenſium hiſtoria evenit anno Chr. 177. Conſulatus porro Decii & Grati ann. 250. aſſignatur. Itaque niſi prorſus a vero aberraverit Turonenſis, quo loco primas in Galliam prædicandi Evangelii miſſiones huic conſulatui alligat, neceſſe eſt fabulæ adſcribere omnem illam Martyrum Lugdunenſium hiſtoriam. Quinetiam falſitatis arguentur, quæcumque factus poſtmodum peritior Gregorius poſterioribus ſcriptis ſuis tradit de Eutropio miſſo ad Santonibus evangelizandum, & ordinato ad id muneris Epiſcopo a B. Clemente Romano Pontifice: deque ejus in eadem urbe martyrio: dequo octo aliorum Epiſcopoporum in Gallias ab Apoſtolorum Diſcipulis miſſione, a quo tempore præter Eutropii martyrium haud prorſus credibile eſt nullos extitiſſe in Gallia poſt hæc fidei primordia Martyres ante Aurelianam illam perſecutionem; ut mirum ſit, ſummæ viros eruditionis tantam fidem adhibuiſſe duobus illis commemoratis teſtimoniis ſeſe invicem deſtruentibus; Severi quidem Sulpicii libr. 2. de ſacra hiſt. his verbis: *Tunc primum intra Gallias martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Et Gregorii Turonenſis lib. 1. hiſt. Franc. c. 31. primas in Galliam miſſiones ad Decianum conſulatum referentis, cum tamen ipſe ſcriptis poſterioribus idipſum retractaverit. Quinetiam ne a Lugdunenſi perſecutione digrediamur, Irenæus, qui poſt illam Aurelii crudelitatem infulas Eccleſiæ Lugdunenſis accepit, diſcipulus fuerat Polycarpi martyris, ipſe vero Polycarpus fidiſſimus extitit Apoſtoli Joannis diſcipulus. Photinus autem Irenæi præceſſor Lugdunenſem Eccleſiam annos ſolidos quinquaginta jam rexerat, & fortaſſis alium habuerat in Lugdunenſi Eccleſia anteceſſorem. Quidquid rei ſit, Photini pueritia ſimul tempore concurrerat cum Joannis Apoſtoli provecta ſenectute. Præter inconcuſſas auctoritates Irenæi, Tertulliani, Euſebii, Hilarii: Præter miſſiones Eutropii Epiſcopi & martyris, & Creſcentis, & Trophimi: præter directores Saturnini Epiſcopi & martyris, & aliorum ſeptem Epiſcoporum in diverſas Galliarum Eccleſias ab Apoſtolorum Petri & Pauli diſcipulis, ſatis ſuperque jam excuſſas, potuiſſet a me quoque produci Sergii Pauli in Narbonenſem urbem dimiſſio ab Apoſtolo Paulo in Hiſpaniam proficiſcente, a teſtibus commemorata non indignis, quibus adhibeatur fides; ſed quia illa in Hiſpaniam profectio Pauli ſatis nutat ac vacillat, idcirco hac uti probatione ſuperſedeo. Ut autem conſtet, multos ſub Aurelii dominatu fuiſſe in Gallia Chriſtianos, quos illa ejus perſecutio nequiverit exhaurire, teſtis erit Euſebius ab Irenæo convocatum fuiſſe Lugduni Epiſcoporum celebre Concilium, definiens Paſchalis temporis ſolemnitatem poſt quartamdecimam Lunæ Martii diem contra Quartadecimanos.

MULTIPLICIA
IN CAUSSA BERENGARII
hæreſiarchæ habita Concilia.

1. UNdecimum Sæculum novum edidit monſtrum Berengarium hæreſiarcham. Hic ex Eccleſiæ matris ſinu erumpens quaſi vipereus fœtus, ejus viſcera nixus eſt lacerare. Cum igitur eſſet Andegavenſis Eccleſiæ Archidiaconus, hanc novam Hæreſim procudit, quæ negat Chriſti Corpus reipſa contineri ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Eodem delirio jam ante laboraverat, edito de Sacramento Altaris libro, ſive Joannes Scotus, ſive Rathramus ſub Caroli Calvi regno, unus idemque libri ejuſdem auctor, qui primum ſub Joannis Scoti nomine, dinde ſub Rathrami pervulgatus eſt, ut probat Petrus de Marca Pariſienſis Archiepiſcopus in ſua ad Lucam Dacherium epiſtola. Ipſe vero Berengarius in ſua ad Lanfrancum epiſtola profitetur ſe Joannis Scoti ſententiam ſequi, nimirum figurate ac metaphorice duntaxat Chriſtum in Euchariſtiæ Sacramento adeſſe. Cum hæc Berengarii epiſtola intercepta fuiſſet, atque ad Leonem Papam nonum delata, coacta eſt ab eodem Romæ Synodus, quæ dogma iſtud ut hæreticum damnavit, eoſque qui illud conſectarentur, communionis Eccleſiaſticæ fecit extorres: abſentem vero Berengarium, cujus nomen epiſtola præferebat, ad proxime futurum Vercellenſe Concilium citavit, ut ſibi reſponderet de ſua fide. Ea Romana ſub Leone Synodus ann. Chriſti contigit 1050. ſequens vero Synodus Vercellenſis ejuſdem anni menſe Septembr. convocata fuit.

2. Sub hoc inter ambas Synodos intervallo, Berengarius in Normanniam conceſſit, cui tum Provinciæ dominabatur Guilielmus, dictus Nothus, ætate adhuc junior, ſed Religione & prudentia commendatus, qui

poſtmo-